

SUMMARIA

- 1 Restitutus ad gratiam reuocatum, intelligitur restitutus sine alterius praeiudicio: unde alteri ante restitutionem impetranti praeferrri non debet.
- 2 Restitutus recuperat bona, quae non sunt in alium translata.
- 3 Quando quis reducit ad corpus, a quo auferat, ponitur in deteriori stallo, & quomodo hoc intelligatur.
- 4 Minor restitutus ad beneficium renuntiatum, non censetur restitutus, cum illud fuerit alteri collatum.
- 5 Confirmatio Summi Pontificis facta absq. causae cognitione nihil iuris tribuit nec operatur confirmationem actus nullius.
- 6 Confirmatio dicitur facta in forma communi, quoties in ea sit mentio iustae concessionis.
- 7 Confirmatio facta in forma communi nullum affert praediudicium tertio, sed recipit tacitam conditionem, si ita sit, scilicet, si iuste possideatur.
- 8 Confirmatio, ut valide actum nullum, requiritur causae cognitio & certa scientia.
- 9 Causae cognitio facta in nimis breui tempore non sufficit.
- 10 Confirmatio in forma communi facta ex certa scientia, tribuit ius, sed hoc intelligitur, quando est modicum praediudicium, secus si graue ac enorme, num. 12. Item procedat, quando preces rei confirmatae veritate nituntur, alias secus, num. 13.
- 11 Confirmatio tunc temporis censetur facta ex certa scientia, quando inseritur in ea tenor rei confirmatae.
- 14 Confirmatio quamuis facta fuerit cum clausula, ex certa scientia & de plenitudine potestatis, si fuit subreptitia, nihil operatur.
- 15 Clausula motus proprii quamuis purget vitium subreptionis, non tamen tollit falsitatem causae expressae Imperatori, & ius tertii.
- 16 Confirmatio Papa ex certa scientia, quando valide inuestituram alias inualidam?
- 17 Confirmatio subreptitia, etiam cum clausula, ex certa scientia, facta, non valet. Clausula, ex certa scientia, nihil operatur, nisi in iis de quibus princeps praesumitur habere scientiam certam, sicut sunt ea, quae consistunt in iure, non autem operatur in iis, quae sunt facti, eod. num. 17.
- 18 Rescripta seu privilegia, ex certa scientia, ac motu proprio concessa, nihil operantur in praediudicium tertii.

CONSILIVM XI.

IN causa vertente inter Ildephonsum & Franciscum super beneficio Ecclesiastico vulgo dicto, Media racione, in fauorem dicti Ildephonsi ultra allegata & probata in processu, tam in iure quam in facto faciunt sequentia. Primo text. in cap. quamuis, de rescriptis, in 6. vbi expresse probatur, quod si restituitur quis ad gratiam reuocatum, intelligitur restitutus sine alterius praediudicio: Unde alteri ante restitutionem impetranti praeferrri non debet. Et sic est ibi text. pro doctrina Bart. in l. Gallus, §. & quid si tantum, num. 12. ff. de l. ber. & posthum. vbi notant, quod restituitio in integrum facta a Principe non auferit ius alterius. Et sic debes limitare (inquit Bart. l. 1. 2. c. 3. C. de sentent. pass.) quae dicit, quod restitutus recuperat bona; Nam intelligitur, quae non sunt in alium translata, & sequuntur ibi Paulus de Castro num. 14. l. 62. c. 63. & Anton. Gomez in l. 1. Tauri, col. penult. Quam doctrinam pluribus aliis declarationibus comprobatur & communem testatur plurimos allegans Jacob. Menoch. de recuper. possess. 10. remed. num. 101. & pluribus seq. fol. 108. & Roland. a Valle affirmans, eam esse communem consil. 45. nu. 4. & seq. lib. 4. vbi aliquibus modis limitat, quae limitationes in

proposito non conueniunt. Restitutio igitur facta in fauorem dicti Francisci in suam capellaniam & antiquitatem minime nocere potest dicto Ildephonso, cui tunc iam erat ius acquisitum cum possessione in altera capellaniam. Neque obstat limitatio text. in d. cap. quamuis, ibi, nisi de hoc expresse dixerimus, quia in proposito non est expressum contrarium. Vel secundo, quod etiam si esset expressum, adhuc nihil praestaret: quia confirmatio Summi Pontificis fundatur super narratione falsa facta a Decano & Capitulo Ecclesiae Pacensis, ut constat ex processu: Igitur nihil releuat, ut ex infra dicendis apparebit.

Secundo facit optima doctrina Ioannis de Platea in l. Metallarij, num. 2. ad fin. C. de metallarij, lib. 11. vbi tenet, quod quando quis reducit ad corpus, a quo auferat, ponitur in deteriori stallo: quia vbi erat in primo loco, propter eius absentiam ponitur in vltimo. Quod procedit secundum ipsum in officiis, in quibus est honor oneri admixtus, secus si continent solum onus. Nam in nostro proposito capellaniam dictae Ecclesiae Pacensis, super quarum antiquitate litigatur, continet & honorem & onus: honorem, quia ascendunt ad dimidias rationes: onus, quia capellani habent proprium & peculiare onus residendi diuinis officiis in dicta Ecclesia dicendis & celebrandis, ite & canendi. Igitur optime conuenit in proposito doctrina Plateae vbi supra, quam in terminis refert & sequitur ad bonam qualificationem Francisci. Auil. in cap. 44. prae. in gloss. platiar. e, num. 3. fol. 239. vbi alia in nostrum propositum conducuntia & fauorem adducit: sequitur alios allegans Jacob. Menoch. vbi supra, num. 105. & seq. Vbi num. 104. cum text. gloss. & aliis tenet, quod minor restitutus ad beneficium renuntiatum, non censetur restitutus, cum illud fuerit alteri collatum.

Tertio, quia confirmatio Summi Pontificis, quae pars aduersa niritur, cum sit in forma communi, & absque causae cognitione nihil iuris tribuit, nec operatur confirmationem actus nullius (prout fuit restitutio siue receptio facta a Decano & Capitulo dictae Ecclesiae Pacensis, parti aduersae in priorem capellaniam cum sua antiquitate ex defectibus in processu allegatis) ut tenet plures allegans Dec. in cap. 2. num. 5. de confirmat. vtil. vel inutil. Omitto alios, quia planum est, & praeterea sunt allegati per aduocatum dicti Ildephonsi: ultra quos tradit nouissime plures referens D. Molin. de Hispan. primog. lib. 2. cap. 7. num. 7. fol. 268.

Et quod praedicta confirmatio sit facta in forma communi, probatur: quia in ea facta est mentio iustae concessionis: quo casu dicitur facta confirmatio in forma communi, & non tribuit ius, ut probatur in cap. examinata, de confirmat. vtil. vel inutil. tenet Alex. consil. 1. nu. 35. lib. 5. Confirmatio tamen facta in forma communi nullum affert praediudicium tertio, sed recipit tacitam conditionem, si ita sit, scilicet, si iuste possideatur, secundum Rebuff. in tract. de decimis, quest. 13. num. 91. Et sic & secundo probatur, quia ad hoc, ut confirmatio dicatur facta, ut valide actum nullum, requiruntur duo formalia, videlicet, causae cognitio & certa scientia: quia confirmatio simpliciter facta, & sine causae cognitione & certa scientia non suppleto defectum vitii, non valet, ut cum Ant. de Butr. & aliis late optimeque probat idem Alex. consil. 123. num. 18. & seq. vol. 4. qui omnino videndus est in proposito, nam bene probat, vtrumque requiri necessarium, scilicet, causae cognitionem & certam scientiam ad hoc, ut confirmatio sit in specifica forma, ut valide actum nullum, sequitur alios referens D. Molin. vbi supra, num. 26. & in 2. part. lib. 3. c. 3. n. 12. fol. 15. Sed in proposito praed. confirmatio fuit facta absque causae cognitione & certa scientia; Igitur nullum ius tribuit aduersae parti. Imo, ut tenet Alexand. d. consil. 123. num. 24.

num. 24. & seq. non sufficeret ad hoc causae cognitio, facta in nimis breui tempore: sed in praesenti casu nulla fuit adhibita, ut constat ex ipsa confirmatione; Ergo nihil operatur.

10 Nec obstat, si dicatur, quod confirmatio in forma communi, facta ex certa scientia, tribuit ius & confirmatio, quod nullum est, ut cum Cardin. Abb. & aliis resolut. Dec. in d. c. 2. n. 6. de confir. vtil. vel inutil. Et quod tunc temporis censetur ex certa scientia facta confirmatio, quando in ea inseritur tenor rei confirmatae, ut in c. venerabiles de confir. vtil. vel inutil. & ibi notant Abb. & Dec. notab. 1. & alii, communem testatur alios allegans D. Molin. vbi supra, d. lib. 2. cap. 7. nu. 9. Quia primo respondeo, hoc procedere, quando est modicum praediudicium, secus si graue ac enorme sit: (ut in proposito) ita plures allegans D. Molin. d. cap. 7. num. 16. 23.

13 Et secundo respondeo, supra dictam confirmationem opinionem procedere, quando preces rei confirmatae veritate nituntur, alias secus, ut probat expresse text. in d. cap. venerabiles, in fin. ibi, mandamus, quatenus si praemissis fuerit suffragatur, & c. Et in terminis ita tenet & bene probat alios allegans Rota noua 2. de confirmat. vtil. vel inutil. & Dec. in d. cap. venerabiles, in princ. & omnium optime probat latissime plures allegans Roland. a Valle consil. 2. num. 157. & pluribus seq. lib. 1. dicens, quod confirmatio, quamuis facta fuerit cum clausula, ex certa scientia & de plenitudine potestatis, si fuit subreptitia, quia continebat falsa narrata, nempe, quia in impetratione expressit non dicenda, & tacuit exprimenda, nihil operatur. Et idem ibi concludit num. 163. in clausula motus proprii, ut quamuis purget vitium subreptionis, non tamen tollit falsitatem causae expressae Imperatori, & ius tertii, secundum Dec. consil. 407. col. penult. vbi tenet, quod clausula motus proprii non tollit falsitatem causae narratae Summo Pontifici, & ius tertii. Idem Dec. consil. 544. col. fin. Item Roland. a Valle vbi supra, num. 162. concludit cum Paul. de Castro, quod tunc confirmatio facta per Papam ex certa scientia validat inuestituram, alias inualidam, quando Papa sciens eam inualidam, tanquam inualidam volens eam facere validam, confirmasset, & volens alteri praediudicare, secus si illam confirmasset tanquam validam, ignorans illam inualidam, & se alteri praediudicare, quia non fuit aliquid expressum de inualiditate, vel de praediudicio, quod alteri fiebat: quia tunc non praesumitur tollere actus suppressos & tacitos & alicui praediudicare.

16 Quod etiam probatur ex eleganti doctrina Baldi in l. fin. num. 7. C. de sentent. pass. vbi tenet, quod confirmatio subreptitia, etiam cum clausula ex certa scientia facta non valet: quia clausula supra dicta nihil operatur, nisi in iis, de quibus Princeps praesumitur habere scientiam certam, sicut sunt ea, quae consistunt in iure, non autem operatur in iis, quae Princeps praesumitur ignorare, prout ea, quae sunt facti, refert & sequitur plures allegans D. Molin. vbi supra, d. cap. 7. num. 15. Facit praeterea, quod rescripta vel privilegia ex certa scientia ac motu proprio concessa, nihil operantur in praediudicium tertii, ut pluribus relatis affirmat Menoch. de arbit. iudic. lib. 1. quest. 9. nu. 11. Sed supra dicta confirmatio, qua nititur pars aduersa, fuit facta super falsa narratione in pluribus, & ommissa fuerit alia, quae sunt considerata & late allegata in processu, itidem & probata, & constant manifestissime ex actis processus, & ideo non repeto. Nihil igitur valet nec operatur supra dicta confirmatio, etiam si facta fuisset ex certa scientia & plenitudine potestatis, & motu proprio per supra dicta, maxime, quod causae cognitio non intercessit, quo casu supra dictae clausulae effectum non producent, ut vltra Alex. vbi supra, cum Dec. tradit Rol. a Valle vbi supra, nu. 164.

Nec obstat, quod in praedicta confirmatione videtur facta mentio iuris & antiquitatis aliorum capellanorum dictae Ecclesiae: ac per consequens illis videtur praediudicare voluisse Summum Pontificem. Quia respondeo, quod illa mentio fuit facta sub falsa narratione & omissione veritatis, & praeterea confirmatio facta absque causae cognitione. Quo casu nihil valet, ut supra probatum est: quia Papa in praedicta confirmatione existimauit, iustam esse concessionem factam a Decano & Capitulo parti aduersae ex falsa causa sibi narrata, & ommissa veritate: quocirca minime praediudicari tertio de iure existimare potuit. Unde cum veritas sit in contrarium, respectu causae & facti narrationis, consequens est, ut Papa tertio noluerit praediudicare hoc casu ex pluribus iuris regulis & text. expressis. Quare existimo secundum allegata & probata, attenta iuris dispositione, iustitiam notoriam fouere dicti Ildephonsi, rectius sententis salua correctione. Placentiae 15. die Iunii Anno 1573. haec lris definita fuit a iudice Apostolico, coram quo pendebat iudicio sui assessoris doctissimi in fauorem dicti Ildephonsi 19. die Ian. anno 1574. nam fuit confirmata electio & collatio praed. portionis a Decano & Capitulo Ecclesiae Pacensis facta in fauorem dicti Ildephonsi, & fuit impositum perpetuum silentium dicto Francisco super praedicto beneficio.

SUMMARIA

- 1 Emphyteusis non potest alienari in Ecclesiam.
- 2 L. 60. Taur. quae hodie est l. 1. tit. 15. lib. 5. Nonne Recop. Regni, quomodo praestetur.
- 3 Emphyteusis, ut cadat in commissum ob indebitam alienationem, requiritur traditio ipsius.
- 4 Domino plurimum interest, ut propter caducitatem sibi inueniatur ab eo, quod aliud interesse enemat.
- 5 Auctoritas Doctorum est probabilis, & non necessaria.
- 6 Opinio Doctorum quando est communis & bene fundata, non est recedendum ab ea in iudicando & consulendo, eod. num. 5.
- 7 Glossae dictum quando sequitur aliquis Doctor, censetur communis illa opinio.
- 8 Deficiente iure Canonico, ad ius Regium est recurrendum, etiam in foro Ecclesiastico.
- 9 Alienans non incidit in commissum vel penam, quando alienatio fuit nulla.
- 10 Tenor inuestiturae est attendendus.
- 11 Uno ex heredibus cessante soluere canonem, licet alter soluat, tota res incidit in commissum.
- 12 Emphyteuta priuati, sicut Ecclesia, propter deteriorationem rei emphyteuticae potest ab illa expelli.
- 13 Per provisionem hominis censetur recessum a provisione legis in privilegiis, secus in iure communi.
- 14 Omnis conventio & ius implendi conditionem, etiam potestatiuam, transit ad heredem, licet de eo non fiat mentio.
- 15 Pactum de retrovendendo ex parte primi venditoris transit ad heredem, etiam si hoc in pacto non fuerit expressum.
- 16 Ius excipiendi competens venditori, competit etiam & transit in singularem successorem, & sic in emtorem.
- 17 Ius redimendi rem, qua incidit in commissum, transit ad heredem.
- 18 Emphyteuta nec ipse heres potest, postquam res incidit in commissum, rem redimere vtriusque clausulae & pacti de redimendo, quia domino directo debet applicari & ad iudicari, & num. seqq.